

dia, mater inscientię, noverca sapientię, torpescendo perimere^a. In adolescentuli itaque lasciva etate constitutus et circa hec tempora amoris atque labori deditus doctrine merito es laudabilis, cum et tuę etatis et paribus studiorum prebes exemplum, iuvenibus rudimentum, senibus experimentum. Huius igitur tam preclari studii effectione^b ulnis te cordis amplectens tuis petitionibus, licet arduis, libens^c acquiesco, non mei ingenii confidentia, sed tuę supplicationis sedula instantia. Petis nempe et indesidenter flagittas, ut dictaminum tibi precepta tradam et introductionum imitans modum epistolarum modum ostendam, rem quidem^d utilem, multo tamen difficilem, preclarum opus, sed grande onus; tui tamen amoris supplicatione conmotus leve michi^e videtur tam pergrave onus. Ad legenda itaque hec te summopere invitans oro et moneo, pone desidiam, adhibeas diligentiam, sit tenax maxime memoria, legendi assiduitas adhibeatur et omne^f spacium temporis; si meis ammonitionibus obsecundare volueris, huius artis scientiam adhipisci valebis ac perstrarum regularum conpendiosam traditionem prosaicarum epistolarum poteris comprehendere rationem, quam specialiter tuę humilitati enucleandam suscepi, generaliter tamen omnibus profuturam nullius spernat invidia.

Primum itaque dictatorem^g oportet cognoscere gramaticam, rethoricam, dialecticam^h, eloquentie studia huic operi necessariaⁱ. Gramatica etenim cum sit recte loquendi scientia, verba cum nominibus docet construere ceterasque dictiones congrua ratione disponere: hec autem sunt fundamenta et huius artis inditia et primordialia^k initia^l. Rethorica vero ordinate, distincte, expolite componere et unicuique sexui et persone et etati necnon ordini et dignitati congrua accidentia distribuere, ordinem et modum discernere^m. Dialecticaⁿ autem proponere et assumere monstrat et concludere. Que omnia qualiter sint dictatori necessaria, in sequentibus monstrabo per singula; absque harum igitur aliquantula scientia saltem nulla erit dictandi scientia vel noticia. Sunt tamen nonnulli adeo facilia habentes ingenia, ut ignoratis harum arcium preceptis per-

a) Zu ergänzen 'facit'. b) 'effectio-num' Hs. c) 'lib:ens', ein Buchstabe ausradiert Hs. d) 'q' Hs. e) 'm' Hs. immer. f) 'omī' Hs. g) Ursprünglich 'oportet dictatorem', dann durch Ueberschreiben von b und a umgestellt. h) 'dialecticam' Hs. i) 'necessariā' Hs. k) 'primordialia' Hs. l) Ursprünglich 'inditia'; d ist dann durch untergesetzten Punkt getilgt. m) Zu ergänzen 'docet'. n) 'Dialectica' Hs.